



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CUBAOËNSIS*** IN PHILIPPINIS NOVA CONDITUR
DIOECESIS CUBAOËNSIS Quo satius provideretur spirituali bono atque regimini Christifidelium archidioecesis
Manilensis, Venerabilis Frater Noster Iacobus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Sin, Archiepiscopus Metropolita
eiusdem Sedis, audita Conferentia Episcoporum Catholicorum Philippinarum, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam
seiuncto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur. Nos, praehabito faventi voto
Venerabilis Fratris Antonii Franco, Archiepiscopi titulo Galleini et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio
Congregationis pro Episcopis admotam postulationem animarum saluti valde profuturam libenter accipiendam esse
censemus. De plenitudine igitur Nostrae potestatis sequentia decernimus. Ab archidioecesi Manilensi separamus
integrum territorium, prout praesens lege civili circumscribitur, partis urbis *Quezon City* quae exstat ad meridiem viarum
patrio sermone nuncupatarum *Tandang Sora* et *Mactan*; atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim
Cubaoensem. Sic conditae Ecclesiae sedem episcopalem in urbe *Quezon City* ponimus, ibique situm paroeciale
templum, Deo dicatum in honorem Immaculae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, ad gradum et dignitatem
cathedralis ecclesiae evehimus eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus aliae in catholico orbe cathedrales
aedes fruuntur. Praeterea dioecesim Cubaoensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Manilensi eiusque
Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Manilensis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur.
Quae praescripsimus perficienda committimus praedicto Apostolico Nuntio vel, ipso a sede absente, illi, qui curat negotia
Apostolicae Nuntiaturae in Philippinis, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad
effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro
Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique
Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum
Romae, apud Sanctum Petrum, die duodecesimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri
vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

IOANNES B. card. RE

Congr. pro Episcopis Praef.

s.n.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 12, pp. 804-805 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana
